



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

12. S. Gregorius Magnus, Ecclesiæ Doctor

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

soli placeret Deo. Et hoc vincere se-
ipsum est. Fili! hîc abhorret natura?
Quare? Quia sui amore nondum vacua.

Instructio meritoria.

Æstimationem propriæ excellentiæ
ut reprimamus, clam scalam serpendo
ascendamus, & cuilibet gradui cum *uno*
Ave osculum figamus, addendô in fine
canticum Mariæ: *Magnificat anima &c.*
Hæc ascensio nostra erit in cœlum pro-
vectio. Sic S. Petrus: humiliamini sub
potenti manu Dei, ut vos exaltet in
tempore visitationis. 1. Petri 5. 6.

Festum S. Gregorii Magni,
Pontificis, & Doctoris in Ecclesia
Eminentissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

AD scholam magnæ sanctitatis, &
omnis perfectionis nos vocavit
Deus. Fili! ergò Magistrum inquiramus
in S. Gregorio, qui & virtute, &
Dei sapientia, ac spiritu Christi, & al-
mi Patris Benedicti magnus vocari me-
ruit. His omnibûs quantum indige-
mus! sed quomodo impetrabimus?

In-

Instructio meritoria.

Laudetur Deus in sanctis suis! Litanias recitemus de omnibus Sanctis ex S. Ordine Benedictino cum Cantico: *Benedicite omnia opera Domini Domino &c.* Laus Dei coelites lætificat, & beatos facit. S. Laur. Justin.

II.

IRatus erat Deus populo Romano, quem gladiò feriit luis pestiferæ. Iratum placat denuò S. Gregorius. Quomodo? Publicè circumferendò Mariam, cui ipsi coelites auditi sunt aggratulari cantantes. *Regina cæli letare.* In periculis optimum dat medicamen & consilium Maria. Bona est Maria hominibus, quia per Ipsam habent Redemptorem. Bona peccatoribus, quia per Ipsam consequuntur veniam. Bona justis, quia per Ipsam obtinent perseverantiam. S. Vinc. Ferrer.

Instructio meritoria.

Hoc idem Angelorum Canticum ter de die per manus S. Gregorii offeramus coelitem Reginæ pro avertenda omni contagione à dilecta patria. Peribimus, nisi

nisi vitam suffulserit Maria. Nam solium Divinæ Misericordiæ est Mater Misericordiæ, in qua omnes inveniunt solatia misericordiæ.

III.

S. Gregorius nusquam major videri voluit, quàm in doloribus, & humiliationibus. Magna scripsit, & fecit; sed semper infirma sanitate. Laudari noluit, ideò & Pontificatum abhorruit. Fili! memento, veram Christiani magnitudinem esse, magna præstare, & parvum sese reputare. *Nam magna, & rara virtus est, ut magna licet operantem, magnum te nescias.* S. Bern.

Instructio meritoria.

Studiosè aliorum facta commendare, & nostra deprimere, hodie satagamus; quin & adeuntes ecclesiam in ultimo angulo delitescamus, orantes inclinatò capite, clausis oculis, & erectis manibus 24. Pater & pro acquirendis 12. gradibus perfectæ humilitatis. Phariseus repellitur! publicanus recipitur. Humilis assumitur! superbus & elatus ac fastuosus relinquitur!

Dies